

1603

tute, fortitudine, felicitate tot bella confecerat, victoriasque reportaverat, egregium Regis munus ad Senatum detulit. Id honoris atque regiae benevolentiae in Rempublicam argumentum cum pergratum Patribus extitisset, ad eum officii plenas literas dedere. Thoraca aliisque arma, quibus regium obiectum corpus obarmataque dextera praeclara adeo facinora ediderat, summo animi gaudio accepta, & ad invicti Regis memoriam posteritatisque documentum, uti pretiosa quæque adsolent, conservatuos. Iis perbenigne Henricus summum in Rempublicam studium voluntatemque testatus respondit. Regiam armaturam in Decemvirum armamentario nobili loco reponendam Senatus jussit.

M. D C. IIII.

1604

*Mehemetis
Turcarum
Imp. ebitus
& Achoma-
tis succe-
sio.*

ANNI vero in sequentis initio, qui a parte salute M.DC.III. fuit, a Francisco Contareno, Reipublicæ legato, Byzantio literæ allatæ, Mehemetem Turcarum Regem tertiodecimo kal. januarii repente, nullo præveniente morbo, e vita sublatum: ei Achomatem, qui nondum quartum ac decimum ætatis annum attigerat, successisse: adolescentem in populi conspectum datum, stupori plerisque fuisse, qui ingentis imperii habenas pueros nunquam arripuisse memorabant. Principum legati qui Byzantii commorabantur, ad eum visendum, amplissimorumque regnorum successionem gratulatum confluxere. Contarenus idem officii genus paucis per interpretem obivit: præsens Halis, Memphiticus Bassa, quem ad Visiratum paulo ante Mehemetes pater evexerat, Venetorum in Ottomanos Reges amicitiam studiumque laudibus extulit; eos uti amicos habendos tractandosque affirmavit, Rege non semel capite annuente, quod in superbo Ottomanorum fastu, qui nunquam affari, perraro oculos conjicere in Principum legatos solent, pro insueto habitum. In alloquio Contarenus Regi tecto capite præter morem adstitit. Senatus extra ordinem legatum, qui & aditum regnum Achomati gratularetur, & pacem renovaret, Joannem Mocenicum, Equitem, legat.

*Joannes
Mocenicus
ad Achomo-
tatem ora-
tor.*

Ceterum regni illius primordia a Persa illata repente arma tur-